

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Conuicium c cum fonte primo

Leuis quidem sermo
quia leuiter uolat sed grauiter uulnerat.
Leuiter transit sed grauiter urit;
leuiter animum penetrat sed non leuiter exit;
leuiter profertur sed non leuiter reuocatur.
Facile uolat, ideo facile caritatem uiolat.

Tenerum membrum lingua,
attamen uix teneri potest.
Substantia quidem infirmum atque exiguum
sed usu magnum et ualidum inuenitur.

Tenuis est et lata,
ideo aptissimum euacuandis sordibus instrumentum.

Bernardus in quodam sermone.

Leuis quidem res sermo,
quia leuiter uolat, sed grauiter uulnerat.
Leuiter transit, sed grauiter urit;
leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit;
profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur:
facile uolat, atque ideo facile uiolat caritatem.

Vilis res est musca moriens,
sed exterminat oleum suauitatis.

Tenerum membrum lingua,
attamen uix teneri potest:
substantia quidem infirmum atque exiguum,
sed usu magnum et ualidum inuenitur.

Modicum membrum est,
sed, nisi caveas, magnum malum.

Tenuis est et lata,
aptissimum euacuandis cordibus instrumentum,
sicut multorum mihi inter vos conscientias arbitror
attestari, nisi forte omnes tam perfecti sumus,
ut numquam nobis post longas confabulationes
inuenta sit mens quodammodo vacua,
meditatio minus deuota, sicca magis affectio,
et holocaustum orationis non adeo pingue
propter uerba, sive quae diximus,
sive etiam quae audiuimus, uerba tamen.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones de diuersis*,
17.5 (SBO 6.1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M.
Rochais eds., pp.153-4, ll.21-23, 1-9).